

ligneus virunculus constitutus est, hæc ponderibus appensis, dum in fundum aquæ descendit, aer compressus ita aquæ resistit ut virunculus non reddatur madidus.

2. In campana vitrea aquæ immerfa candela ad certum tempus flammam potest exhibere, in mediis nempe aquis, quamdiu sufficientem habet aerem.

3. In siphonem bicruralem, uno crure cera obstructo, si infundatur argentum vivum, hoc non ad æquilibrium transibit, sed in uno crure tantum hærebit, propter aeris compressi resistantiam in crure altero: simulac autem orificium aperitur, Mercurius ad æquilibrium transit.

4. In thermometro quod longiori tubulo orificium apertum habente instructum est, calore manus liquor thermometro inclusus non potest in altum ascendere, si orificium est clausum, ob impeditum aeris egressum: simulac autem apertio fit, impetu quodam liquor in altitudinem fertur.

5. Instituaturs explicatio, quare vitrum aqua repletum centum ducatos adhuc capere possit, nihilominus aqua non ex vtro effluat: item cur maxima quantitas camphoræ solvi possit in spiritu vini rectificatissimo, spiritus interim non insigne augmentum experiatur.

DEMONSTRATIO XII.

Nullum corpus alterum penetrare potest, & omnia spatia repleta cum sint corporibus, hinc nullus motus fieri potest, nisi unum corpus alteri cedat, qua successione impedita tollitur & motus.

Expe-